



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorius III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvv I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem directæ, de sanitate, vel incolumitate eius percunctandum, simulque, & de Mißis suis, qui ad regiam fuerunt directi vrbem. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad
Domnum Pippinum Regem directa, de sanitate, vel incolu-
mitate eius percunctandum simulque. & de Missis
suis, qui ad regiam fuerunt directi
urbem.*

XXXVIII.

*Summ. s.
Bar. &
Cent.*

DOMNO excellentissimo filio & nostro spiri-
tali Compatri Pippino Regi Francorum, &
Patricio Romanorum Paulus Papa. Præmis-
sis nostris apicibus & affatibus, per Droctegandum &
Wulkardum, Deo amabiles, fidelissimos vestros Mis-
sos, sumus in pensius deprecati eximiam excellentiam
vestram, ut nos certiores atque latiores reddere annu-
eretur, de vestra amplissima sospitate & de eo, quo
profecti estis itinere, qualiter erga vos Dominus esset
operatus, & dum tanto evoluto tempore nullam à vo-
bis responsionis seriem de huiuscemodi re agnoui-
mus, vehementer noster attritus est animus. At verò
per diuersos ex ipsis regionibus, liminibus Apostolo-
rum aduenientes peregrinos, didicimus, sospitem te
ad propria, præcellentissime fili, & spiritalis Compa-
ter, esse, annuente Deo, reuersum. Vndè magno gau-
dio noster animus releuatus est.

Quapropter, destinatis præsentibus nostris Apo-
stolicis Syllabis, visitationis causa, obnixè petimus, ut
dignetur sublimis vestra Excellentia, quantotius nos
de amplissima incolumitatis vestræ sospitate latos
reddere, significans Christianissime fili, & spiritalis
Compater, qualiter erga vos & excellentissimam fi-
liam, & spiritalem nostram commatrem & eximios
filios agatur, ut noster animus maxima iocunditatis
exul-

exulter letitia, quoniam nimio desiderio feruescimus, vestram sedule addiscere sospitatem & de vestro gaudio exultare: quoniam vestra salus exaltatio est sancte matris vestræ Ecclesiæ, & prosperitas vestra nostra esse probatur lætitia.

Itaque præcellentissime fili, & spiritalis Compater, bone & optime Rex, ecce hæcenus nullam rei veritatem de nostris Missis, quia regia profecti sunt vrbe, addiscere valuimus, quid erga eos ageretur, & ideo nequaquam vobis quippiam de eis significare valuimus. Dum verò rei agnoscere potuerimus veritatem, confestim eximie excellentiæ vestræ dirigemus in responsis.

His præmissis, Deum cœli petimus, vt vobis & præsentis vitæ longæuitatem, & regni gubernacula cum excellentissima Regina filia & spiritali nostra cõmatre, Christianissima Regina, vestraq; dulcissima coniuge, atque amantissimis vestris natis, nostrisque filiis, iisdem eximiis regibus & patriciis Romanorum perfruendum concedat, & cœlestis regni participes faciat, nosque permittat de vestra amplissima sospitate semper gratulari. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

